



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ladislaus C. 27. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

27. Junii. VITÆ SANCTORUM. 409
per in pace est. Locum non demus inimico,
ne inter mella venena felle amariora con-
fundat. S. Pet. Chrysol. serm. 53.

S. LADISLAUS C. 27. Junii.

LADISLAUM Bela primi Regis Un-
garorum filium, imò *Mariæ* vides;
ita totus ab hujus uberibus, dum vixit,
pependit, sed neque mortuus, ut audies,
dimisit. Cæterum vix alius regum tot
virtutibus aut purpuram ornavit, aut co-
ronam distinxit; ut minùs mirer, si le-
gam aulam ejus ab Angelis frequenta-
tam esse. Certè ipse ab Angelo germa-
num suum vidit coronari, sed & Ange-
lum sub cervi schemate ignitis cornibus
locum vidit signare, quo promissam
Matri Magnæ ædem conderet. Eorun-
dem Coelituræ ope, cum in multis aliis
pugnis, tum in duello contra patrum
suum Regem Salomonem victor evasit.
Etenim cum hic cum uno rem sibi L A-
DISLAO crederet esse, conspexit sub
congressum, contra duos præterea An-
gelos sibi certamen esse, qui gladio jam
jam Salomoni graves imminebant. No-
luit igitur, etsi Hercules sibi ipse vide-
retur, in tot tantosque pugnare; sed ab-
jecit arma, pacem coluit. Toties victor
LADISLAUS coronam tamen ferre Un-
gariæ semper respuit, nobiliorem & im-
mortalem ambiens, quam ut facilius

Cc 5

ob-

410 VITÆ SANCTORUM. 28. Junii.
obteneret, facere fortiter pro terrâ san-
ctâ constituit. In eâ proinde expeditio-
ne, cum Dux lectus esset omnium co-
piarum, ecce in ipso belli apparatu pul-
cherrimâ morte occubuit. Mortuus por-
rò, & curruï impositus, sine jumentorum
hominumque ope in Templum, quod ab
eo VIRGINI structum memoravimus,
non tam vehi, quàm currere visus est.
Obstupuit ad miraculum orbis; at non
ego etiam: nam cur filium mirer ad Ma-
trem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfin.*

*Omnis delectatio hujus mundi, universa
ejus gloria, quidquid denique in eo concu-
piscitur, prorsus modicum est, in illius bea-
titudinis comparatione; si tamen vel modi-
cum dici debet, & non potius nihilum, &
vapor ad modicum parens. S. Bern. serm.
de S. Clem.*

S. POTAMIOENA V. M. 28. Junii.

FELICES nos bona si nostra, si quæstum
virtutis & certa pietatis vectigalia
noverimus: quantillo possumus ditescere!
POTAMIOENA Alexandrina virgo
formæ causâ cum multis conflictata pro-
cis, & in illo certamine superior, ex a-
moris palæstrâ in scenam crudelitatis
transiit, ut ad pud ris lilia constantiæ
laurum adjungeret. Aquila homo sangui-
narius carnificinæ præerat, cujus in Po-
TAMIOENAM omnem atrocitatem effu-
dit,